

- quos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse, quia timidum genus mortalium inter initia non facile se ferro ignique committebant. quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes, et nisi magna compulsi necessitate speque ipsius salutis non patiuntur sibi fieri, quae sane vix sunt  
 3 toleranda. cur ergo aliqui excludant medicinam ex usu medicamentorum, 5  
 non inuenio, nisi ut detegant imprudentiam suam. sive enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, merito accusandi sunt, quod tam negligentes in tam necessaria parte artis fuerint, sive experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt, quia crimine invidentiae flagrant, quod malum cum omnibus ani- 10  
 mantibus invisum esse debeat, tum praecipue medicis, in quibus nisi plenus misericordiae et humanitatis animus est secundum ipsius professionis  
 4 voluntatem, omnibus diis et hominibus inuisi esse debent. idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinae legitime est obligatus (sed persequetur eos, cum res postulaverit, ut 15  
 militans et civis bonus omni modo), quia medicina non fortuna neque personis homines aestimat, verum aequaliter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur nullique umquam nocituram profitetur.
- 5 Hippocrates, conditor nostrae professionis, initia disciplinae ab iure- 20  
 iurando tradidit, in quo sanctum est, ut ne praegnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstretur a quoquam medico, longe praeformans animos discentium ad humanitatem. qui enim nefas existimaverint spem dubiam hominis laedere, quanto scelestius perfecto iam nocere iudicabunt? magni ergo aestimavit nomen decusque 25  
 medicinae conservare pio sanctoque animo quemque secundum ipsius